IOHANNI COCCEJO IOHANNES BUXTORFIUS.

S. P.

Vir Reverende et Clarissime;

Lætissimus mihi nuper est allatus nuncius, Te, Divina providentia sic gubernante, a Magnificis Academiæ Lugdunensis Curatoribus, in defuncti D. Spanhemii locum non solum vocatum, sed et locatum esse, splendidissima conditione acceptata. Nuntius ille sane haud mediocriter me affecit et exhilaravit. Gratulabar Academiæ Lugdunensi, de digno D. Spanhem. successore invento et impetrato: gratulabar Amico, cui tam honorifica Sparta, tam honorifice fuit oblata: sed et mihi ipsi gratulabar, quod hac vocatione propius simus conjuncti, ut, quod sæpe desiderabam, sæpius et frequentius per literas invicem conferre possimus, et Amicitiam jam dudum cœptam, sed per locorum intercapedinem, et temporum [illegible] injuriam, varias expertam, commodius hinc inde continuaturos speremus. quam quidem ad rem, nec meam diligentiam, nec integritatem, defuturam, Tibi spondeo et polliceor. Deum rogo, Vir Clarissime, ut quamdiutissime in hac nova Professione Deo inservire, Studiis juventuti prodesse et prodesse possis, Tuo, Ecclesiæque simul cum commodo et emolumento. Audimus etiam D. Rivetum in vicinam Academiam evocatum: mihi itaque virorum et superstitum luminarium status cum cordi esse debet. Nova Academia, novæ commoditates Typographicæ procul dubio quoque nos frequentioribus tuorum laborum editionibus beabunt, quos omnes illi avide exspectant, qui gustum tuorum Scriptorum perceperunt, ex antea editis operibus. Ego, partim ob graviores ob geminam Professionem occupationes, partim ob varios valetudinis adversæ insultus, non possum præstare quantum [illegible] et optarem. Operam tamen do, ut subinde aliquid ad Philologiam Sacram illustrandam elaborem. Nunc de novo in palæstram trahor a meo Antagonista Salmuriensi. Vidisti procul dubio Criticam ejus Sacram superiore anno editam, cum annexa Defensione acerba et amarulenta, in qua nimis nimis inique habet et tractat. Utique, cum existimem me et causam habere bonam et piam, et famam quoque non multo mihi cordi esse debeat, non possum, quin adversus illam injustissimam Defensionem quasdam Vindicias et mei, et Veritatis exprimam Hebraicæ. Per totam meam vitam nunquam vidi hominem, qui in summa Linguæ Hebraicæ, et rerum Hebraicarum imperitia, majores gerat animos et spiritus. Sed neminem etiam hactenus vidi, ne ex ipsis quidem Pontificiis, qui impudentius et audacius Textum Hebraicum impugnet quam ille facit. Magnum dedit malum editus hic liber, dissuadentibus Orthodoxis Theologis pluribus, et coadjutoribus Pontificiis. Sorbona, una cum Professoribus Regiis Hebraicis Parisiis diu distrahebant editionem, et distulerunt: vicerunt tandem commendationes [illegible] et Arminiani. Multos, [illegible], passim nactus adversarios, ex nostris et ex Pontificiis, adeo ut omnibus, quibus vel mica ingenuitatis et recti judicii inest, se abominabilem reddiderit. Ex Pontificiis audio scribere etiam Josephum de Voisin, Presbyterum Burdigalensem doctum, et per literas mihi notum, qui nunc Parisiis vacat editioni Pugionis Fidei Christianorum Martini Raymundi. Quod si Deus mihi vitam et valetudinem confirmarit, et [illegible] [illegible] (quod nunc [illegible] occupatum est) [illegible], fert animus, [illegible], quæ vel a Patre ^alias^ [illegible], vel [a] me parata habeo, edere; quia vereor ut me e vivis abrepto, ad [illegible] [illegible] [illegible]. Præsens lator. D. Gothofridus Schwarzmannus Basiliensis est, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], vir doctissimus, et omnium bonorum amore et favore dignissimus. Summa cum laude hic suscepit [illegible] ad S. Ministerium. Deus ipsius studiis et itineri benedicat. Vale Vir Cl. et me in tuorum numero habere, ut ante cœpisti, perge. Dabam raptim Bas. X Martij 1651.

T. R. addictiss.

Joh. Buxtorfius.

T. R. addictiss.

Johannes Buxtorfius

Viro Reverendo et Clariss.

D. JOHANNI COCCEIO

SS. Theologiae Doctori et in

inclyta Academia Lugduno-Ba-

tava Professori celeberrimo,

Amico plurimum honorando.

Leydae.

Respondi d. 4 Julij 1651.